

Scripturæ et Patrum, quibus supra probatum est, hoc sacramentum esse institutum, ut in eo detur Spiritus Sanctus, et in eo impleri promissionem a Christo factam mittendi Spiritum Sanctum, datur ergo Spiritus Sanctus in hoc sacramento; non datur autem sine effectu gratiæ sanctificantis. Unde Concil. Trident., sess. 7, can. 2 de Confirmatione, definit, sacrum chrisma habere virtutem sanctificandi, de qua re videri possunt plura decreta de Consecrat., dist. 5, a princ. Tertio probanda est ex distinctione inter hæc duo sacramenta, baptismum et confirmationem, nam, ut Melchias Papa dixit, utrumque est verum et magnum sacramentum, et sicut in essentia et significatione distinguuntur, ita et in gratiæ effectu.

3. *Non tamen est institutum ad dandam primam gratiam, sed ad eam augendam et roborandam.* — Dico secundo: hoc sacramentum per se non est institutum ad dandam gratiam primam, neque ad tollendum peccatum originale, aut mortale, sed ad augendam et roborandam baptismalem gratiam. Conclusio est eodem modo certa, nam illa sola sacramenta sunt per se instituta ad dandam primam gratiam, quæ sunt per se instituta ad tollendum peccatum originale, aut mortale, quia et hujusmodi peccata tolli non possunt nisi per primam gratiam, et omnis gratia prima est sufficiens ad excludendum illa; est autem certum, solum baptismum esse institutum ad tollendum originale peccatum, et reliqua, quæ cum illo conjuncta fuerunt. Ad tollendum autem alia peccata mortalia, quæ post baptismum committuntur, solum poenitentiae sacramentum institutum est, ut constat ex doctrina Concil. Florent., et Trident., sess. 7 et 14, et partim in superioribus dictum est, et partim dicitur infra, tractando de poenitentiae sacramento; ergo sacramentum confirmationis, neque ad remissionem peccati, neque ad primam gratiam dandam, est per se institutum, et ideo unum est ex his, quæ dicuntur sacramenta vivorum, nam duo tantum illa, baptismus et poenitentia, sunt ex institutione sua sacramenta mortuorum. Et hinc probata relinquatur ultima conclusionis pars; nam hoc sacramentum institutum est ad dandam gratiam ex 4 concl.; et non primam; ergo secundam, seu (quod idem est) ad augmentum et robor gratiæ. Quomodo autem in hoc differat a cæteris sacramentis vivorum, sæpe jam indicatum est, et statim etiam dicitur.

4. *Effectus hujus sacramenti prærequirit primam gratiam.* — Hinc sequitur primo, ad effectum hujus sacramenti per se loquendo necessarium esse, ut, qui illud recipit, primam gratiam habeat; nam ad gratiæ augmentum per se requiritur et supponitur prima gratia; quomodo enim augebitur, quod non est? Unde sicut in naturalibus augmentum supponit vivens genitum, et retinens seu conservans vitam, quam per generationem acquisivit, ita hoc sacramentum, quod est quoddam spirituale augmentum, supponit spiritualem generationem et vitam. Quocirca, qui baptizatus est, si baptismalem gratiam non amisit, sufficienter dispositus est ad effectum hujus sacramenti recipiendum, nec novam dispositionem ex necessitate requirit, sive parvulus sit, sive adultus; solum in adulto requiritur consensus, non tam per modum dispositionis ad effectum sacramenti, quam per modum intentionis, et voluntatis necessariæ ad valorem sacramenti. Ex decentia etiam et congruitate oportet, ut hoc sacramentum cum debita attentione, et devotione ab adulto suscipiatur; ex necessitate tamen nulla actualis dispositio absoluta requiritur ad hunc effectum, quia satis est habere habitualem dispositionem et non ponere obicem, nam juxta sanam doctrinam sacramenta dant gratiam non ponentibus obicem. Unde fit in homine grato, si mortaliter non peccet, non posse impediri hunc effectum, si sacramentum validum est; interveniente autem peccato mortali impediri potest, ex obice recipientis, in quo differt hic effectus ab effectu characteris, qui impediri nullo modo potest, si validum est sacramentum, ut in superioribus etiam traditum est. Secundo sequitur ex dictis, eum, qui post baptismum mortaliter peccavit, per se loquendo, indigere contritione vel attritione cum sacramento poenitentiae, ut digne possit hoc sacramentum recipere et effectum ejus. Probatur, quia indiget prima gratia, ut possit recipere effectum hujus sacramenti; sed hanc amisit peccando; ergo oportet, ut prius illam recuperet, quam ad effectum hujus sacramenti recipiendum accedat; non potest autem illam recuperare, nisi per sacramentum poenitentiae digne susceptum, aut per contritionem includentem votum ejus. Unde etiam concluditur, non sufficere solam attritionem per se loquendo. Quapropter, qui solam attritionem habet, suamque imperfectam dispositionem cognoscit, non potest licite ad hoc

sacramentum accedere, neque effectum ejus recipere per se loquendo, quia, cum careat spirituali vita, non est recte dispositus ad augmentum ejus recipiendum; caret ergo dispositione per se requisita; et hoc ipsum non ignorat, ut supponitur; male ergo agit sic accedendo, et consequenter ponit obicem effectui sacramenti.

5. *Non tamen adultus tenebitur confessionem præmittere, quamvis bonum consilium sit.* — Sed quæret aliquis primo, an sit etiam necessarium adulto confessionem præmittere, antequam hoc sacramentum suscipiat, quando habet conscientiam peccati mortalis post baptismum commissi. Respondetur, non esse necessarium, quia nullum est præceptum speciale quod ad hoc obliget, neque ex generali ratione sacramentorum colligitur, ut supra visum est; ergo. Major patet, quia tale præceptum nec humanum, nec ecclesiasticum, neque divinum positivum, nec scriptum aut traditum est, neque etiam ex sola rei natura colligitur; nam quoad hoc, nulla est major ratio in hoc sacramento, quam in cæteris. Est tamen optimum consilium confessionem præmittere, propter quod dicitur in Concil. Aurelian., cap. 3, et habetur in cap. Ut jejuni, de Consecratione, dist. 5, adultos admonendos esse, confessionem præmittere; non tamen est simpliciter necessarium, neque illud est præceptum, sed admonitio quædam; satis ergo erit per contritionem disponi. Quod si quis non valeat, aut, ut verius dicatur, nolit conari ad veram contritionem habendam, tenebitur ad confessionem præmittendam.

6. *Sufficit probabilis existimatio contritionis cum ignorantia invincibili.* — Occurrit vero statim secundum dubium. Quid si aliquis existimet se contritum et revera non sit? Respondetur, si probabilis sit existimatio, et invincibilis ignorantia, eum excusari a culpa; ideoque probabile esse, quod hic D. Thom. docet, art. 7, ad 2, eum recipere gratiam per hoc sacramentum, quia per attritionem disponitur ad remissionem peccati actualis, et ad gratiam ex opere operato recipiendum, et per bonam fidem tollitur obex peccati actualis, atque hic applicanda sunt omnia dicta in simili quæst. de Sacramentis in genere; nulla enim specialis ratio aut difficultas circa hoc sacramentum occurrit. Significat autem D. Thom. in ea solutione, si quis accedat bona fide, solum quia ex ignorantia non habet conscientiam peccati mortalis, recipere effec-

tum sacramenti, etiamsi re ipsa tale peccatum habeat; sed intelligendum est, dummodo habeat aliquam sufficientem attritionem; nam sola ignorantia, quantumvis invincibilis, licet sufficiat ad tollendum obicem actualis peccati, non tamen per se est dispositio ad remissionem peccati prius commissi, cum tamen illud remitti non possit sine aliqua attritione et dispositione peccatoris, ut supra in materia de baptismo tactum est, et dicitur latius in materia de poenitentiae.

7. *Utrum hoc sacramentum conferat majorem gratiam, quam baptismus.* — Tertio dubitari solet circa hunc effectum, quanta sit gratia, quæ per hoc sacramentum datur, et quoniam impossibile omnino est, præcise et absolute a nobis cognosci, aut signari gradus gratiæ, qui per hoc sacramentum dantur, tractari solet quæstio comparative, an scilicet hoc sacramentum det majorem gratiam habitualem, quam baptismus; et est ratio dubitandi, quia gratia baptismalis, cum sit regenerativa, et perfecte remissiva omnis culpæ, videtur esse maxima, et ita maximis encomiis exaggeratur et commendatur a sanctis Patribus. Item, quia cum illud sacramentum sit majoris necessitatis, videtur verisimile majorem gratiam in eo esse a Christo promissam, quam confirmationis, quæ fortasse solum est voluntarium sacramentum, et ad melius esse, præsertim quia in susceptione baptismi majus quoddam obsequium, longeque difficilior homo offert Deo, quam in confirmatione, nam in illa fit prima fidei confessio, et christianæ religionis susceptio. In contrarium autem est, quia omnes Patres supra citati dicunt, hoc sacramentum conferre perfectionem homini christiano, qui comparatur post confirmationem ad se ipsum tantum baptizatum, sicut vir ad puerum; sentiunt ergo majorem esse perfectionem, quam addit confirmatio, quam quæ per baptismum data erat.

8. *Quid quidam doctores sentiant.* — Circa hoc aliqui Theologi dicunt, effectum confirmationis dici perfectionem, quia supponit effectum baptismi, et addit aliquid aliud; non tamen quia id, quod addit, præcise comparatum ad id quod supponit, sit majus. Ita videntur sentire Bonav. in 4, dist. 7, art. 2, quæst. 3; Marsil. in 4, quæst. 5, art. 4, in fine. Sed hoc non videtur satisfacere dictis Sanctorum, tum quia eodem modo dici posset, quodlibet sacramentum dare majorem gratiam, quam baptismum, quia supponit gra-

tiam baptismalem, et aliquid addit; hinc ergo non posset colligi dignitas, et excellentia hujus sacramenti, quod Sancti intendunt; tum etiam quia satis clare loquuntur de perfectione, quam per se confert hoc sacramentum, in quo dari dicunt Spiritus Sancti plenitudinem et robor, ut patet ex Clemente, Urbano, et Cyprian., epist. 27, et singulariter ex Melchiade dicta epist. Ubi interrogatus, quod sit majus sacramentum, baptismus an confirmatio, absolute videtur confirmationem præferre dicens: *Scitote, utrumque magnum esse sacramentum: et sicut unum a majoribus fit, id est, a Summis Pontificibus, quod a minoribus perfici non potest, ita et majori veneratione venerandum, et tenendum est;* et statim multis verbis exaggerat effectum hujus sacramenti; tum denique quia juxta exemplum et proportionem adductam, vir non solum excedit magnitudine puerum, quia ejus quantitatem includit, et aliquid aliud addit; sed etiam quia si præcise comparantur, major est quantitas, quæ viro additur per augmentum, quam data fuerit per generationem. Et Apostolis major gratia videtur fuisse data in die Pentecostes, quam antea per baptismum; ita ergo fieri in hoc sacramento significat D. Thom. infra, art. 44, ad 5, dicens, esse potiore effectum hujus sacramenti, in quo datur septiformis gratia Spiritus Sancti cum omni plenitudine sanctitatis, scientiæ, et virtutis, ex Rabano, lib. 2 de Instit. cleric., cap. 30; quem etiam refert, atque eodem modo exponit, et sequitur Magister in 4, dist. 7. Unde superius, quæst. 65, art. 3, via perfectionis dicit sacramentum confirmationis superare baptismum; idem in 4, dist. 7, quæst. 4, art. 1, quæstiunc. 3; et ibi Soto, art. 7, et dist. 6, quæst. 4, art. 6, estque hæc opinio satis probabilis, quamvis incerta.

9. *Hoc sacramentum confert propriam gratiam sacramentalem.* — Ultimo dicendum est, conferre hoc sacramentum propriam gratiam sacramentalem, id est, specialem Spiritus Sancti protectionem et auxilium ad fidem vivam constanter tenendam et profitendam. Ita docent cum D. Thom. omnes Theologi, et colligitur ex omnibus supra adductis ad explicandam rationem institutionis hujus sacramenti; necesse est enim unumquodque speciale sacramentum ad proprium finem ordinari, et gratiam specialem tali fini accommodatam conferre, quæ in hoc sacramento non potest esse alia, vel excogitari.

10. *Quomodo et quando hoc sacramentum det suum effectum.* — *Effectus hujus sacramenti redit recedente fictione, sicut effectus baptismi.* — Potest autem de hoc effectu quæri, quando detur, quamve dispositionem requirat, aut quomodo possit impediri. Ad quod breviter respondetur, in ipsa susceptione sacramenti dari hunc effectum quasi in radice, vel (ut sic dicam) dari jus ad hujusmodi auxilium; re tamen ipsa dari temporibus opportunis, juxta divinæ sapientiæ dispositionem consentaneam fini hujus sacramenti. Ut autem tunc infallibiliter detur, necesse est, hominem non apponere obicem peccati, sicut in ipsa susceptione sacramenti necessarium hoc fuit ad gratiam ipsam, quæ est veluti fundamentum hujus protectionis et auxilii divini, quia si homo ponat obicem peccati mortalis, fit indignus hoc auxilio, et ineptus, vel indispositus ad finem hujus sacramenti, quia, et fides mortua infirma valde est, et homo in eo statu existens caret habitatore Spiritu Sancto. Statim vero occurrebatur quæstio, an, si homo posuit obicem huic effectui per peccatum, et postea tollat obicem, restituatur effectus, sive obex positus fuerit in ipsa susceptione sacramenti, sive postea in vitæ discursu; sed de hac re satis disputatum est supra in materia de baptismo, ubi affirmantem partem elegimus: neque hic occurrit aliquid addendum.

ARTICULUS VIII.

Utrum hoc sacramentum sit omnibus exhibendum (4, dist. 7, quæst. 3, art. 2, quæst. 2 et 3, et dist. 25, quæst. 2, art. 4, quæst. 2, corp.).

1. *Ad octavum sic proceditur. Videtur, quod hoc sacramentum non sit omnibus exhibendum. Hoc enim sacramentum ad quamdam excellentiam datur, ut dictum est (art. 2 hujus quæst., ad 2, et art. 4). Sed id, quod ad excellentiam pertinet, non competit omnibus dari. Ergo hoc sacramentum non debet omnibus dari.*

2. *Præterea, per hoc sacramentum augetur aliquis spiritualiter in perfectam ætatem. Sed perfecta ætas repugnat ætati puerili. Ergo ad minus pueris dari non debet.*

3. *Præterea, sicut Melchiades Papa dicit (in epist. ad Hispan. Episc., a med. illius, tom. 4 Concil.): Post baptismum confirmamur ad pugnam. Sed pugnare non competit mulieribus, propter fragilitatem sexus. Ergo nec mulieribus hoc sacramentum dari debet.*

4. *Præterea, Melchiades Papa dicit (loco nunc proxime citato, et habetur de Consecr., dist. 4, cap. Spiritus Sancti), quod quamvis continuo transitoris sufficiant regenerationis beneficia, victuris tamen confirmationis auxilia necessaria sunt, quia confirmatio armat et instruit ad agones mundi hujus et prælia reservandos. Qui autem post baptismum cum acquisita innocentia immaculatus pervenerit ad mortem, confirmatur morte, quia jam non potest peccare post mortem. Ergo statim morituris non debet hoc sacramentum conferri; et sic non debet omnibus dari.*

Sed contra est, quod dicitur Actorum 2, quod Spiritus Sanctus adveniens replevit totam domum (per quam significatur Ecclesia); et postea subditur: Et repleti sunt omnes Spiritu Sancto. Sed ad illam plenitudinem consequendam hoc sacramentum datur. Ergo est omnibus, qui sunt in Ecclesia, exhibendum.

Respondeo dicendum, quod sicut dictum est (art. 4 hujus quæst.) per hoc sacramentum promovetur homo spiritualiter in ætatem perfectam. Hoc autem est de intentione naturæ, ut omnis qui corporaliter nascitur, ad perfectam ætatem perveniat; sed hoc quandoque impeditur propter corruptibilitatem corporis, quod morte prævenitur. Multo autem magis de intentione Dei est omnia ad perfectionem perducere, ex cujus imitatione hoc natura participat; unde et Deuter. 32 dicitur: Dei perfecta sunt opera. Anima autem, ad quam pertinet et spiritualis nativitas et spiritualis ætatis perfectio, immortalis est, et potest sicut tempore senectutis spiritualem nativitatem consequi, ita tempore juventutis vel pueritiæ corporales ætates, animæ non præjudicant. Et ideo hoc sacramentum debet omnibus exhiberi.

Ad 1 ergo dicendum, quod hoc sacramentum datur ad quamdam excellentiam, non quidem unius hominis ad alium (sicut sacramentum Ordinis), sed hominis ad seipsum, sicut idem perfectus vir existens habet excellentiam ad se puerum.

Ad 2, dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.), ætas corporalis non præjudicat animæ. Unde etiam in puerili ætate potest quis consequi perfectionem spiritualis ætatis, de qua dicitur Sap. 4: Senectus venerabilis est, non diuturna neque numero annorum computata. Et inde est, quod multi in puerili ætate, propter robur Spiritus Sancti perceptum, usque ad sanguinem fortiter certaverint pro Christo.

Ad 3, dicendum, quod sicut Chrysost. dicit in hom. de Machabæis (inter princ. et med. illius, et habetur hæc hom. tom. 4, in fine illius), in mundanis agonibus, ætatis, ac formæ, generisque dignitas requiritur, et ideo servis ac mulieribus, et senibus ac pueris ad eos aditus denegatur. In cælestibus autem, omni personæ et ætati, ac sexui, indiscreta facultate stadium patet. Et in homilia de Militia spirituali dicit (hom. 6 in numero sexdecim hom. tom. 5): Apud Deum scæmineus etiam militat sexus. Multæ namque scæminæ animo virili spiritualem militiam gesserunt; quædam enim interioris hominis virtute, viros æquaverunt in agonibus martyrum; quædam etiam fortiores viris extiterunt. Et ideo etiam mulieribus hoc sacramentum conferendum est.

Ad 4, dicendum, quod, sicut dictum est (in corp. art.), anima, ad quam pertinet spiritualis ætas, immortalis est. Et ideo etiam morituris hoc sacramentum dandum est, ut in resurrectione perfecti appareant, secundum illud Ephes. 4: Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Et ideo Hugo de S. Victor. dicit (lib. 2 de Sacram., part. 7, cap. 3, circa princ.): Omnino periculum esset, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret; non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur. Unde etiam pueri confirmati decedentes majorem gloriam consequuntur, sicut et hic majorem obtinent gratiam. Auctoritas autem illa (citata in argum. 4) intelligitur quantum ad hoc, quod morituris non est necessarium hoc sacramentum propter periculum pugne præsentis.

DISPUTATIO XXXV,

ET QUARTA HUIUS SACRAMENTI.

DE SUSCIPIENTIBUS CONFIRMATIONIS SACRAMENTUM.

Postquam dictum est de effectibus, dicendum sequitur de causis hujus sacramenti; et quoniam formalis et finalis simul cum essentia et effectu seu utilitate hujus sacramenti explicatæ sunt, solum superest dicendum de subjectiva seu materiali, et efficiente, de qua dicemus in sequenti disputatione; hic ergo agimus de materiali causa, non ex qua sacramentum constat; nam hæc pertinet ad essentiam sacramenti, et explicata jam est; sed circa quam sacramentum versatur, et in qua recipitur; est enim sacramentum veluti